

habet esse »; et ad primum personam consequitur esse; ergo esse de quo loquitur non est subsistentia.

IV. Secunda propositio: Loquitur de existentia. Patet, quia non est nisi existentia, vel subsistentia præter naturas; de naturis non agit, quia jam de natura assumpta egit quæstione quarta supra; ergo.

V. Tertia propositio: Existentia distinguitur realiter a natura. Patet, quia ponit, quod secundum humanam naturam non advenit novum esse personale, et non loquitur de persona, quia illa est quæ habet esse; loquitur ergo de existentia, quæ convenit personæ, et communicatur naturæ.

VI. Quarta: Subsistentia distinguitur realiter ab existentia in creatis, et est susceptiva illius.

VII. Quinta: Existentia, et subsistentia compositi est indivisibilis in creatis. Probatur a D. Thoma: Si contingeret, quod advenirent Socrati post constitutionem personæ, ex his non accresceret Socrati aliud esse, sed solum relatio quædam ad hujusmodi. Ergo secundum D. Thomam existentia non habet partes, et per consequens non identificatur cum illis, quia si identificaretur, ibi po-

nerentur plures partes existentie.

VIII. De omnibus his propositionibus disputandum erat hic; sed quia ex professo egimus de illis in physica quæstione VII per totam, et I parte, quæstione III, disp. IV; ideo in præsentia non disputamus de illis, sed remittimus lectorem illuc, ubi contrarias sententias, specialiter illam ex qua aliæ dependent, quod existentia non distinguitur ab essentia in creatis, retulimus ex Scoto, Durando, et Vazquez hic eos sequente, et Suario in metaphysicis, qui etiam hic illam sequitur sicut et alii moderni eorum sectatores, et tandem supra in materia de incarnatione explicuimus quomodo de facto unio hypostatica facta fuit immediate in persona, vel hypostasi, cum D. Thoma ibi, qui quæst. II, art. II et III, hoc disputavit, et determinavit, per quod exclusum fuit, quod de facto non fuit facta unio in existentia increata, quia conceptus existentie in divinis non est constitutivus personæ, et sic minus advertenter Suarez hic in prologo disputationis inquit, quod hæc disputatio fuit omissa a D. Thoma supra quæstione secunda.

## QUÆSTIO XVIII.

### DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM

#### IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

S. Thomas agit in præsentia de unitate voluntatis Christi tamquam de principio actionis, de qua in quæstione sequenti agit; de intellectu vero supponit esse intellectum duplicem, creatum, et increatum, ex dictis supra quæstione nona, articulo primo, ubi ponit præter scientiam divinam scientiam creatam in Christo. Ex quo constat simul habere divinum, et humanum intellectum; solum restabat hoc de voluntate, ad quod hæc quæstio instituitur, in qua simul de aliis ad voluntatem pertinentibus agit.

#### ARTICULUS I.

*Utrum in Christo sint duæ voluntates?*

I. Conclusio est affirmativa. Pro explicatione est notandum, quod potest in duplici sensu intelligi; vel quantum ad actum, vel quantum ad potentiam. Quantum ad actum, vel operationem agit quæstione sequenti; in hac autem quantum ad potentiam, vel principium, seu facultatem volendi. Et in hoc sensu intelligitur ista conclusio, quod in Christo est duplex voluntas increata, et creata, sumpta voluntate pro principio volendi. Et antequam illam probet S. Thomas refert errores contra quos est conclusio, qui ad quatuor capita reducuntur.

II. Primum caput erroris est, quod Verbum in Christo erat anima, et sic intellectus, et voluntas solum erat divina in Christo. Sic Appollinarius.

III. Secundum caput est ponentium in Christo unam naturam per

transmutationem compositam ex duabus: hæc voluntas neque esset divina, neque humana, sed sicut ipsa natura, quæ erat una composita ex duabus, et neque istam, neque illam, sicut Eutyches, et alii.

IV. Tertium caput est ponentium in Christo solam voluntatem humanam, quia ponebant solum in Christo naturam humanam, et unitam per aspectum. Sic Nestorius.

V. Quartum caput est aliorum, qui ponebant in Christo naturam divinam, et humanam hypostatice unitas, et isti ponebant solam unam voluntatem divinam, scilicet quæ movebat naturam humanam. Sic posuerunt Macarius, Cyprus, Sergius, et alii qui dicti sunt Monothelitæ.

VI. In primo capite ponitur solum voluntas divina, et ad istud potest reduci hæresis Manichæorum in quantum dicebant, quod Deus non assumpsit veram humanitatem, sed phantasticam. Secundum caput est



ex alio extremo ponens voluntatem humanam, et negans divinam; ad istud potest reduci hæresis Photini in quantum dicebat, quod Christus erat Deus non naturaliter, sed participative solum per gratiam, et quantum ad hoc conveniebat cum hæresi Nestoriana.

VII. Sed hic potest esse difficultas, quomodo S. Thomas dixit, quod Nestorius ponebat solam unam voluntatem, si quidem ponebat duo supposita, et duas naturas. Sed intelligentia est, quam tradit Cajetanus hic et alii, quod Nestorius sic fingeat suum errorem, quod scilicet in Christo suppositum humanum, et natura humana conjungebatur cum supposito divino, et natura divina solum per affectum, et suppositum divinum cum natura divina, vocabat simpliciter Deum; suppositum vero humanum cum natura humana vocabat hominem Christum, propter conjunctionem affectivam, et sic ipse solum ponebat voluntatem humanam in Christo.

VIII. Tertium caput neque humanam, neque divinam ponebat, sed unam compositam ex utraque, ita quod ex transmutatione unius in alteram resultaret quædam tertia ratio.

IX. Quartum caput ponebat in Christo solum voluntatem divinam per quam Christus operabatur, et movebat humanitatem.

X. Contra omnes istos errores ponit D. Thomas suam conclusionem, quam probat primo in argumento Sed contra ex sacra Scriptura, Lucæ xxii: *Pater si vis transfers calicem istum a me, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat*, circa quæ verba Ambrosius: « Sicut suscepit voluntatem meam suscepit tristitiam meam: » et iterum: « Voluntatem suam ad hominem retulit, Patris ad divinitatem, vo-

luntas enim hominis est temporalis, voluntas divinitatis æterna. » Possunt plura alia loca sacra Scripturæ ad idem adduci Matthæi vigesimo sexto: *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: Joannis iv: *Cibus meus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me*: Joannis v: *Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*: et vi: *Descendi non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me*: et similia.

XI. Secundo, probat D. Thomas conclusionem ex sexta Synodo generali ex verbis epistolæ Agathonis papæ lectæ in eadem Synodo actione iv, et receptæ actione octava, ubi diffinitur, quod in Christo sunt duæ voluntates. Idem diffinitur in septima Synodo actione septima, et in Concilio Lateranensi sub Martino I, canone ii; Florentino sectione ultima: et præterea Caius papa ad Felicem, Leo papa in epistola x, et xviii, et xix.

XII. Tertio, probat D. Thomas ratione, qua etiam utuntur pontifices citati sic in fine corporis: Nam Filius Dei assumpsit naturam humanam perfectam; sed ad perfectionem naturæ humanæ pertinet voluntas; ergo necesse est dicere, quod Filius Dei humanam voluntatem assumpsit in natura humana. Major manet probata supra quæst. ii, art. v; minor i part. quæst. lxxix et lxxx, et consequentia est bona.

XIII. Ulterius: Per assumptionem humanæ naturæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quæ pertinent ad divinitatem; sed voluntas pertinet ad divinitatem; ergo habet voluntatem divinam. Major est de fide, minor est probata i part. quæst. lxxx, et consequentia est bona, et sic sequitur conclusio, quod in Christo sunt duæ voluntates, una scilicet divina, et alia humana. Fundamenta autem

hæreticorum, quantum ad tria capita priora non pertinent directe ad istum articulum, sed supra quæstione secunda exclusa sunt; quantum ad quartum caput quod in Christo esset duplex contrarietas, si essent duæ voluntates, nullius momenti est, quia ut articulo v et vi hujus quæstionis determinat D. Thomas in Christo nulla fuit contrarietas voluntatum.

#### DUBIUM UNICUM,

UTRUM D. THOMAS RECTE INTELLEXERIT ERROREM MONOTHELITARUM?

I. Pater Vazquez hic disp. lxxiii, cap. i, num. ii inquit hæresim Monothelitarum scholastici nostri recte, et sincere non intellexerunt, putant enim apud Monothelitas aliud esse voluntatem, aliud autem operationem, et per voluntatem ipsam facultatem appetitus rationalis, ita eos ait intellexisse errorem horum hæreticorum, et S. Thomas articulo primo hujus quæstionis et articulo primo sequenti, et Cajetanus, atque omnes recentiores ibidem, ipse autem Vazquez intendit probare, quod Monothelitæ non negabant voluntatem humanam in Christo, sumpta voluntate non pro principio, vel facultate, sed solum pro operatione, et sic quod ponebant voluntatem divinam, et humanam pro potentia, et error illorum consistebat in eo, quod solum ponebant actionem voluntatis divinæ, et negabant actionem voluntatis humanæ, et sic, quod S. Thomas et scholastici non recte intellexerunt errorem istum.

II. Probat Vazquez hoc suum iudicium, vel imaginationem, primo ratione in eodem numero secundo, sic: Nam cum hi hæretici expresse concesserint in Christo duas integras naturas, nulla vel minima specie

probabilitatis negare potuerunt facultatem voluntatis in Christo.

III. Secundo, numero quarto probat auctoritate Agathonis papæ, qui in epistola lecta in sexta Synodo actione quarta, inquit: « Voluntas motus est naturæ, quoniam motus est animi; » quæ verba inquit Vasquez esse diffinitionem voluntatis, quam hæretici negabant.

IV. Tertio, quia illa Synodus actione octava, vocat Macarium Monothelitam, et principem Monothelitarum, novum Apollinarem, quia Apollinarius negabat mentem in Christo, et Synodus inquit: « Cui Macarius assimilatur negando operationem, nempe voluntatis: » igitur constat hæreticum non negasse in Christo ipsam facultatem voluntatis, sed affectum, quem vocat operationem.

V. Postremo, probat ex confessione Macarii, quæ in eadem Synodo habetur actione octava, ubi hæreticus fatetur Verbum assumpsisse: « Carnem animatam anima rationali, et intellectuali: » et inferius vocat: « Domini carnem animatam intellectualiter: » igitur concedens potentiam intellectus, concedere etiam videtur voluntatis facultatem; hæc enim mutuo se consequuntur, et frustra unum sine alio concederet: et cum hæretici intelligant nomine operationis effectum voluntatis, asserentes unam tantum operationem, nempe divinam, et negantes humanam, plane consequitur affectum solum voluntatis humanæ, qui voluntas communiter nuncupatur, in Christo negasse.

VI. Ex his locis inquit Vazquez numero tertio, in fine, hic est legitimus sensus erroris, quem prædicti hæretici docuerunt, quem nullus hactenus auctorum notavit. Ego vero, inquit ille, ex Conciliis in quibus damnatur plane deduxi. Et prosequitur numero quarto, adducendo



probationes istas positas, quæ faciunt ad intentum hujus articuli. Alia vero, quæ miscet ad explicandos hæreticos circa operationem, quod non intelligebant de operatione carnis et corporis quando illam negabant, sed de operatione voluntatis, non est ad rem de hoc disputare, neque inter doctores de hoc puncto est dissensio notabilis, et ideo illa omittimus.

VII. Tanta arrogantia non potuit non oriri ex magna ignorantia, quæ ex solutione probationum ipsius patebit, et simul probabitur S. Thomas intellexisse errorem hæreticorum, et mentem Conciliorum, et eum esse legitimum sensum Macarii, et aliorum Monothelitarum quem S. Thomas in hoc articulo et quæstione sequenti, articulo primo tradit.

VIII. Fundamentum est, quod hoc nomen voluntas impositum est ad significandam facultatem, seu virtutem volitivam, sicut volitio ad explicandum actum, vel operationem voluntatis; sed aliquando voluntas usurpatur pro actu volitionis, sicut etiam pro objecto volito, ut in aliquibus locis evangelii; ex hoc tamen non sequitur, quod non possit accipi pro ipsa facultate, seu virtute volente, quæ est primarium ejus significatum: quando autem sic sumatur, ex contextu, et ex modo loquendi debet colligi, et si textus sit magnæ auctoritatis, et sequatur aliqua nugatio, seu ineptitudo in locutione ex hoc quod non intelligatur pro facultate, sic debet intelligi, specialiter si sit cum distinctione ad operationem. Ex hoc principio ad singulas probationes Vazquez respondendo patebit intentum De quo in articulo tertio hujus quæstionis.

## SOLVUNTUR OBJECTA.

IX. Ad primum ex ratione respondetur concedendo, quod hæretici nulla, vel minima specie probabilitatis negare potuerunt voluntatem humanam, pro potentia, vel facultate affirmando naturam, et ideo evidenter redarguit eos D. Thomas hic ratione corporis, et IV contra gentiles, cap. xxxvi, ratione secunda, quæ est ista consequentia, quod si datur natura debet dari facultas: et quod tam inconsequenter procedant hæretici, nec S. Thomas, nec theologi scholastici reputant inconveniens, imo tamquam insanos propter hoc illos redarguit Medina hic; sed Vazquez reputat magnum inconveniens dicere, quod hæretici non loquuntur consequenter, et nullum inconveniens invenit, quod S. Thomas et omnes scholastici, ut ipse ait, non intelligant disputationem, et hoc solum ut non inveniatur in istis hæreticis injuria inconsequentiae, quasi non esset major injuria, quod sint hæretici, et quasi omnes hæretici communiter non deficerent in consequentia.

X. Præterea, quia necesse est, quod isti hæretici talem, vel majorem consequentiam admittant, quia si ponendo naturam ponunt simul facultatem volendi, ut vult Vazquez, et tamen negant volitionem, seu operationem voluntatis; ergo inconsequenter loquuntur absque ulla apparentia probabilitatis. Patet consequentia: « Cujuslibet naturæ est aliqua operatio propria, nam forma est operationis principium, unde oportet, quod sicut diversarum naturarum sunt diversæ formæ, ita sint diversæ actiones. Si igitur in Christo sit una actio sequitur, quod sit una tantum natura. » Hæc est ratio D. Thomæ contra istos hæreticos

in contragentiles, capite xxxvi citato ratione prima, et quæstione sequenti, articulo primo in fine corporis. Illa ergo utimur sic: Igitur in Christo humana natura habet propriam formam, et virtutem per quam operatur, et similiter divina; unde humana natura habet propriam operationem distinctam ab operatione divina, vel non consequenter loquuntur hæretici. Patet consequentia, quia non potest Vazquez defendere, quod consequenter loquantur ponendo naturam, et formam, quæ est principium operationis, et negando operationem, et pejus errat in explicatione Vazquez ponendo potentiam, seu facultatem operationis, et negando operationem, quia est ponere principium proximum mortuum, inutile, et impotens ad operationem, quæ nunquam exercenda est, cum tamen detur solum propter operationem.

XI. Et adhuc hoc magis insanum apparet ex modo, quo hæretici negabant operationem. Macarius enim princeps illorum in sua confessione, quæ habetur in eadem Synodo citata, actione octava dicit: « Quemadmodum nostrum corpus regitur, et ornatur, atque ordinatur ab intellectuali, et rationali anima nostra; ita et in Domino Christo tota hominis conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper et in omnibus mota, et Deo mobilis fuit, » ubi expendendum est, quod tota humanitas mota et mobilis semper, et in omnibus fuit a divinitate, et sic clare hæreticus impossibilem negabat operationem, seu motum proprium naturæ humanæ: ergo ponendo potentiam, ut vult Vazquez, simul ponebat possibilitatem, et impossibilitatem operationis; possibilitatem, quia ponebat potentiam, quæ dat posse; impossibilitatem, quia dicebat hæreticus, quod non erat mobilis nisi a divinitate. Et exemplum hæretici

manifestat impossibilitatem, quia inquit: « Quod est sicut corpus regitur ab anima, » et corpus non potest moveri, nec est possibilis illi operatio, quæ non sit animæ; ergo si ita ponit ut ipse dicit, quod est in Christo humanitas respectu divinitatis, et quod ideo solum est operatio divina in illo, ponitur impossibilis operatio humana. Major ergo absurditas est ponere potentiam ad operationem, et simul impossibile esse operationem, quam ponere naturam sine potentia proxima, esto quod utrumque est contra naturam propriam rerum; sed ibi apparet major oppositio, quia ponitur simul possibilitas, et impossibilitas.

XII. Denique id quod Vazquez inquit invenisse poterat, et debebat videre in Cajetano in hoc articulo ubi citatur a Vazquez, sic enim inquit Cajetanus: « Macarius non negabat potentiam, sed motum proprium humanæ naturæ, » ecce explicationem, et intelligentiam hæretici, de qua tantum gloriatur Vazquez ex Conciliis deduxisse ut allatum est, et quod scholastici hactenus non intellexerunt, scilicet quod hæreticus non negabat potentiam, seu facultatem, sed operationem, et motum; quod patet prius intellectum, et deductum a Cajetano in istis verbis. Solum est differentia, quod Cajetanus vult hæreticos consequenter fuisse convictos, ut negarent potentiam etiam; sed Vazquez non vult, quod sic a catholicis, et a Conciliis, et patribus convicti sint hæretici ut negent potentiam. Ad hoc solum reducit tota novitas, et vanitas gloriationis Vazquez: veritas tamen ex dicendis patebit.

XIII. Ad secundum concedimus verba pontificis, negamus tamen esse diffinitionem voluntatis, ut inquit Vazquez, quod patet; tum, quia non probat; tum, quia inquit allatum fuisse ex Augustino, et S. Au-